

ATTI DI GIOVANNI PAOLO II

Bolla pontificia di elevazione alla dignità dell'Episcopato del Prelato dell'Opus Dei, 21 novembre 1994 (*Romana*, 11, 1995, pp. 14-15) (*).

JOANNES PAULUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei dilecto Filio *Xaverio Echevarría Rodríguez*, praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei Praelato, electo Episcopo titulari Ecclesiae Cilibiensis, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Pastorum et Episcoporum officium et gratia communis est illa Ecclesiae fideles docere, quibus iidem in via Dei ducuntur, Evangelica videlicet mandata (cfr. *Veritatis splendor*, 114). Hac de causa Nos seligere solemus probatos viros qui pastorale ministerium sedule expleant. Post mortem autem Venerabilis Fratris Alvari del Portillo opportunum duximus aptius consulere praelaturae personali Sanctae Crucis et Operis Dei, quo planius prospiceretur animarum saluti illorum Christifidelium.

Ideo Apostolica Nostra potestate te, praelaturae personalis Sanctae Crucis et Operis Dei Praelatum, quem novimus virum prudentem, pium, aequum animo atque assiduum in pastoralis industria, inter Episcopos adlegere cupimus, titulum imponentes *Cilibiensem*, omnia onera cunctaque ad dentes iura quae huic officio ad normam iuris competunt.

Episcopalem ordinationem Nos Ipsi libenter tibi conferemus in basilica Petriana proxima sollemnitatem Epiphaniae Domini. Antea autem tuum erit fidei professionem nuncupare coram S.R.E. Cardinali Congregationis pro Episcopis Praefecto atque ius iurandum fidelitatis erga Nos Nostrosque in hac Apostolica Sede Successores dare coram S.R.E. Cardinali Protodiacono, ad statutas formulas.

Denique te, dilecte Fili, gregem tuum et omnes Christifideles committimus intercessionem Dei Genetricis Mariae et beati Josephmariae Escrivá de Balaguer, ut omnibus significare valeas « opera maximi Dei » (cfr 2 Mac 3,36).

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo primo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

Joannes Paulus PP. II
Franciscus Chiaurri, Proton. Apost.

(*) Vedi nota di V. GÓMEZ-IGLESIAS C., *Circa l'elevazione all'Episcopato del secondo Prelato dell'Opus Dei*, alla fine del documento.